

fratris Engelhardi, facta citatione primitus trina vice per magistrum scutiferum⁹² per omnes albergias conventus nostri prefati, si qui essent procuratores dicti fratris Engelhardi, coram prefato esguardio comparere deberent atque ipsis procuratoribus assertis appellationibus statim ad capitulum generale dicte nostre religionis proxime futurum.

QUA appellatione audita dictum caput esguardii una cum deliberatione fratrum dicti esguardii deliberavit supersedere in presenti causa, donec nos consulissent, an appellatio procuratorum ipsius fratris Engelhardi esset admittenda vel non.

POSTERA vero die dictum caput esguardii nobis in nostro consilio retulit appellationem huiusmodi. Et per nos cum deliberatione nostri consilii fuit cognitum et pronuntiatum secundum usus et consuetudines ac stabilimenta dicte nostre religionis dictam appellationem non esse admittendam, quia in hac causa pro dicto fratre Engelhardo personaliter propter crimina citato procurator intervenire non potuit. Et pro supposito et non concesso, quod potuisset, nichilominus nullius momenti existebat tamquam a vero contumace et criminoso emissam, maxime quia de punitione et correctione agebatur, a quibus non est appellandum, nisi modus correctionis excederet. Et hec appellatio fuit ante sententiam emissa nullo gravamine precedente. Ex qua reddiderunt dictum fratrem Engelhardum de obiectis suspectum mandantes dicto capiti esguardii et ceteris suis colegis, quod non obstante dicta nulla et frivola appellatione ad ulteriora procederent.

DEINDE alio die sequenti dicto esguardio congregato loco quo supra presentibus supranominatis procuratoribus dicti nostri communis thesauri et petentibus, prout supra petierunt, dictum caput esguardii et dictum esguardium per magistrum scutiferum citari fecerunt ad maiorem cautelam non obstante, quod pro dicto fratre Enghelardo procuratores minime intervenire poterunt rationibus premissis, procuratores assertos dicti fratris Engelhardi supranominatos, ut comparerent coram eis ad alegandum et opponendum, quidquid vellent.

QUIBUS citatis et non comparentibus, visa primitus per ipsum esguardium citatione dicti fratris Engelhardi et relatione super eadem habita, visaque dicta obligatione superius inserta manu dicti fratris Engelhardi subscripta, cuius subscriptio per dictos suos assertos procuratores fuit cognita alias coram nobis et dicto nostro consilio ac

sen Komtureien in der Schweiz, Freiburger Geschichtsblätter 17 (1910) S. 1–136, hier S. 10 mit Anm. 8.

92) Gemeint ist vermutlich nicht der Knappenmeister des Meisters, sondern der Knappenmeister des Konvents Fr. Jean Dalfin: SARNOWSKY (wie Anm. 10) S. 667.